



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...

Pars Altera Libri XVIII

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1625

Liber Decimus septimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11182



IOSEPHI RIPAMONTII
E COLLEGIO AMBROSIANO
HISTORIARVM
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Decimus septimus.



Allemthelinam, cuius tractu & sinu
Mediceus hoc tempore exigere Rhe-
tos parabat, incolae sic dictam pu-
tant ex nominis eius castello, quod,
antiquissimum in eo tractu est, & anti-
quitati manet honos, eaq; semper
munimenta instauratur. Clariora tradunt alij Valthel-
linensium initia: Vulturenam urbem in faucibus La-
rij lacus sitam fuisse: nomen eam dedisse genti, Vul-
turenosq; inde appellatos. Excurrit longitudo Val-
lis ab ipsis faucibus ingressuq; primo, ad vsque alpium
Rhaeticarum radices: colligit millia passuum sexa-
ginta. Dimensio latitudinis incerta est, quia montium
valliumque conterminarum extrema, prout cedunt

aut

aut prominent, nunc contrahunt spatia, nunc dilatant. Contermini sunt, ab Oriente, Tirolenses & Solani; à meridie Bergomates, & Camuni: Pefclauenses in Septentrionem, Engadiniq; & Rhæti miscent sese Vulturenis; ipsi vicissim, ad occidentem, Larij lacus accolae attingunt. Per mediam vallem rapido cursu fertur Abdua, cuius fons in summo Rhæticarum alpium vertice ortus larga scaturigine tanti aluei gurgites implet. Regio vini ferax est: proueniunt etiam fata quacunq; duci sulcus potuit: pascua, & glandiferi colles, id quod in alimenta incolarum deest, ægre explent. Incolae, vel alimentis contenti illis patriû solum fatigant, glebisq; suis misera dulcedine perpetuò attinentur, vel peregre egressi per omnes Italiae vrbes, patientiam eandem segnioribus vrbano- rum humeris commodant ad ferenda onera, eaque baiulorum Respublica est. Paucae familiae celebrantur antiquitus nobiles & opulente; reliqua egentium multitudo. Ceterùm, de terra hac, vt inter valles alias, amoena, & diuite, vt inter Italiae regiones, paupere & infelici, tamquam de prouincia nobili & magna, propterea quod extremum Italiae limitem aperit clauditq; saepe dimicatum fuerat etiam æuo simpliciore, cum nondum opportunitates, & compendia ista terrarum tam attente intelligerentur. Et postquam in Romanum imperium cessere Itali, non minima cura limiti etiam huic tuendo Caesaribus fuit. Dein ruptâ Imperij reuerentiâ, duces partium, cum turbarent certaminibus suis traherentq; cuncta, Val-

lem-

lemthellinam simul appetuere tumultuarijs illis armis; Guelfique & Gibellini, Vicecomites & Turriani, magnis motibus initia finemue inde sumpserunt. Victis Turrianis, & exorto Vicecomitum dominatu, pars noui imperij fuit hæc Vallisthellina, donec Bernabos, diuiso inter filios imperio, partem Mastino eam attribuit paulò antequàm ab Ioanne Galeatio captus extingueretur. Tunc paterni casus terrore, & dominatione patruelis profugus ad Rhaetos Mastinus Vallemthelinam eis donat. Sed ea donatio quoniam ab exule facta esset, irrita habita, depulsoq; patruo Ioannes Galeatius cùm in auitum imperium ipse successisset, ad recuperandam Vallem, & deiciendos inde Rhaetos animum adiecit; & vario postea semper circum eas rupes euentu dimicatum obstinatis barbaris ad ea obtinenda, quae semel vsurpassent, & stimulante principes nostros, praeter verecundiam, etiam religione, si Caluini, & Lutheri soboles impura sub oculis pene dominaretur. Non Philippus Maria Ioannis Galeatij filius, non post eius mortem finita domus fortunam Sfortia adeptus destitit actionem eam persequi armis. Post Sfortiarum inde finem dominante Hispano, inter alias imperij curas dilata res, siue infeliciter tentata est, nimiumq; magno Italici nominis dedecore genus infame Lutheri Metropolitanis finibus immiscebatur simul, & ereptam eam Metropoli partem occupabat. Aetate demum nostra, cùm importunitas, & impudentia sectae impen-

sus glisceret, essetq. prouecta eò, vt Catholicas familias, quae promiscuè incolunt Vallem, ferro atq. igni delere coniurauissent, id malum eaq. coniuratio in capita impiorum vertit, auctore operis Gometio Ficeroa Feriae Duce Catholicorum exercituum imperatore, qui cæsis intra paucos dies Lutheranis, & liberata regione, veterem eam patriâ Catholicis tuto secureq. habitandam assignauit. Inde hostium foedera, Gallici incurfus, & suffecturæ voluminibus alijs fraudes; dum regio horrida saxis, inclusa montibus, patria infelicium baiulorum, egestatis sedes, desinentis Italiae lacuna, siue rudimentum incipientis, asperitate cautibusq. suis, & ipso faucium squalore, Regum prope populorumq; omnium inuidiam, arma, sollicitudines mouet, dumque trucidato, vel pulso Lutheranorum coetu, asseritur Catholicae religioni & deuoluta rursus ad impios, eorum insuper furore vastatur. Tanta cura principibus circa claustra faucesq. illas, & cum ab Catholica parte interpretatio anceps ciuilibus ingenijs data esse videatur, si uideumne tantummodo religionis, an verò cū religione, opportunitatum etiam aliarum amor mouerit animos, nullam certe religionem iactare possunt, qui captata occasione ingressi illuc, nihil omisere quod impie nefarieq; committi posset. Verum quaesuisse ista & discreuisse, ne tunc quidem iuuabit, cum narrandi, atq. dijudicandi talia erit locus. Ceterum Vallemthelinâ hanc in quam Medicæus hoc tempore expeditionem

parabat, D. Carolus etiam postea multū diuerso cona-
tu, tamquā Metropolitanī Imperij partem recuperare
cōtendit; mirūq; dictū, Auunculus ille D. Caroli, ductor
exulum, & exul ipse, profano tunc spiritu, & auiditate
terrarū, praelia ciens illa, nescius futuri, simulacra prae-
lij sanctioris edebat, quod bellum expugnandae im-
pietati D. Carolus Archiepiscopus vr̄bis in iuga re-
cessusq; eos suo tēpore illaturus erat. Et profectō, non
sine numine praecessit illac Medicæus, vt diuinæ proui-
dentiae miraculum ventura secula loquerentur, &
aliquis ita diceret. Interfector hominum Auunculus
per saxa rupesq; illas cum exercitu arma & caedem
exitiumq; ferens incessit. Auunculi calcans vestigia
sororis filius, cruce, pastoraliq; alloquio armatus tu-
lit hominibus salutem. Montosa igitur & prærup-
ta, cauaque haec Italiae Germaniaeq; confinia non-
dum tantis nobilitata casibus, ceu prouinciam aliquā
inclytam amplexus toto animo Medicæus, consilia, &
apparatus ad rem aggrediendam hosce habebat.
Videbat primū omnium aiebatq; inter suos; si re-
gionis eius potirentur, non modō inexsuperabiles fore
ipso Sfortiae armis, sed alijs quoque metuendos ceu
tenentes claustra prouinciarum, arbitrosq; transmit-
tendi belli, vel ex Italia in Germaniam, vel inde in
Italorum fines. Et vbi semel inuasissent tenuissentq;
munimenta illa facta naturae sponte, suffecturos ad-
uersus quamuis numerosa agmina, cūm satis frugum
in praesidij alimenta praeberet ager, & imminentes
tumuli castellorum explerent vicem, ex quibus inta-

mihi

Xxxxx 2 6i

ſi ipſe propellere ſubeuntes poſſent . Sed fortafſe
 etiam quietè ibi regnatos, magnumq; dictu fore, vt
 & terrori omnibus eſſent ſimul, & cum bona omniũ
 pace regionem tenerent, neque vi vlla hoſtili laceſ-
 ferentur . Infectam eſſe Luteraniſmo Rhætorum
 gentem, rebellem Apoſtolice Sedi, nomini Auſtria-
 co ſemper infidam ; & Regem Gallum, cuius præſidio
 gens ea nitatur, poſſe conciliari obiectâ illecebrâ,
 ſi iter ei per ſuos fines ad inuadendam denuo Inſu-
 briam darent . Talia quidem ab Mediceo ſermoni-
 bus conſilijsq. agitabantur cùm ille expeditionem in
 Vulturenos ſiue in Rhaetos pararet ; expeditionis
 autem apparatus erat huiusmodi . Mille pedites Ita-
 lici generis: nationum aliarum fere quingenti: & quo-
 tidie plures affluebant iam aſſueti bello , impatien-
 tesq. otij, quod Sfortiâ reſtituto prius, deinde pactis
 inducijs repente exortũ erat: legionem præterea vnã
 ex Germania Vultheodericus Sitticus adducebat :
 tormenta complura minoris formæ ſubditis apta-
 tiſq; rotis, vt in montium etiam cacumina facilli-
 me agi poſſent manu : belli duces egregij : Geor-
 gius Capucianus Epirotarum equitum præfectus :
 Caefar Neapolitanus diſciplina patris & ingenio
 ſuo multũ laudatus inter bella . Tecanũ quoq; no-
 bilem Rhaetum, & inter primores gentis clarum mi-
 litiã corruerat occulte deuinxeratq; ſibi, vt Remp.
 ſuam in medio diſcrimine proderet, quod tamen po-
 ſtea non ſuccèſſit . Aderat etiam ei Carauacca ho-
 mo Hispanus tanta ſubtilitate ad explorandas ho-
 ſtium

stium res, atq; tam varias & nouas latendi artes perpetua meditatione & solertia animi affecutus, vt in alienis castris versaretur ea securitate, qua quis domi suae ageret. Instructus ita Medicaeus, mittit repente Gabrielem fratrem cum septingentis pedibus in Vulturenos, isque prima irruptione Morbenium capit, captum validis vndique sepimentis firmat, vt apertus antea pagus subito munitae urbis instar esset. Ea re cognita Rheti vario telorum genere armatos ad quatuordecim millia statim pago circumdedere. Sed agrestis & tumultuarius fere miles erat, atque rudis ad omnem oppugnandi artem multitudo. Stoliditate ingenita sese vltro ad omnia loca obijciebant, vbi promptissime vulnerari & cadere possent. Cecidere ad quingentos: reliqui dissipati, valle relictâ Albitana Traonam vltra flumen concessere. Tecanus in ea oppugnatione plumbeo missili ab gregario milite percussus frontem, occubuit, cum fretus agili corporis robore, grallatoris instar vtraque manu alte sarissam tenens, sese intra septa eiaculari voluisset. Ingemuisse eo casu Gabrielem ferunt, & acceptum intro corpus cum multis lacrimis honeste sepelisse. Inde orta suspicio proditionis apud Rhaetos tam valida vt nondum exolescat, eaque labes Tecani nomen inter barbaros secuta est. Partâ victoriâ, captaque in hunc modum Valle Medicaeus, quacunq; impetabat, supplicationes in triduum more Romano decreuit, ipseque iuit ad templa supplicatum,

&

& omnis alius honos Deo immortalis ob incruentam
 eam expeditionem aliquandiu ad Montem acutum
 totoque Briantaeorum tractu habebatur. Parochi
 omnes, & Clerici, & quicquid hominum sacrorum
 in Monasterijs erat, circummissis ab Medicaeo e-
 dictis admonebantur, ut in suo quique templo po-
 pulos docerent adorare Numen ob eam rem quae
 diuino beneficio tam prospere successisset. Tanta
 erat, vel pietas & religio Medicaei in media cu-
 rarum aliarum turbulentia, vel confusio miseriaeque
 temporum, ut profanus homo Clericis talia impe-
 ritaret. Edicta autem ea, ab alijs ob metum cum
 reuerentia obsequioque accipiebantur, apud alios
 irrita erant; & ille, vel quia non intelligeret ad-
 spernandi causas, vel quia nollet intelligere, tam-
 quam in contumaces seuerè animaduertebat. Quos-
 dam & terruisse contentus intactos dimisit; referam-
 que id, quod puero mihi contigit ut narrari audi-
 rem ab montium nostrum antiquissimo homine, qui
 spectaculo se adfuisse aiebat. Spatiabatur ad Mon-
 tem acutum tempore matutino Medicaeus in area,
 quae ibi subiecta arci & aedibus tunc fuit; nunc
 arbuta & vites occupauere locum. Precantis mo-
 re rosarium tenens, globulos illos, uti fit, per inter-
 ualla trans mittebat, & fortasse preces erant. Interea
 lictores adducunt, sistuntque ei presbyteros duos, qui
 spreuisse edicta, neque supplicationes indictas obire
 voluisse dicebantur. Steterant attoniti in conspectu
 Principis, cumque ille protinus afferri securriculum
 ius-

iussisset, perfusi necis horrore conabantur utique dicere & excusare nonnihil. Mox, allata securi, inuit ei, qui attulerat, ut ramum illum quendam prospectui officientem amputaret; dixitq; presbyteris; abirent assuescerentq; obedire. Ceterum, tam propere, tamq; feliciter capti Vultureni erant, ut miraculi prope loco haberetur, quod in magna hostium caede victor, duos tantummodo e militibus suis, lixam verò vnum amisisset. Constiterat deinde exercitus ad Morbenium, & maiores quotidie copias submittebat Medicaeo, Gabriel idem à fratre antea missus pergebat constituere Vallis imperium, isq; Traonam, & Clauennam, & Tiranum, intra paucos dies capta habebat eadem felicitate, qua principio Morbenium ipsum cepisset. Tunc Medicaeus, aucto ad fortunae magnitudinem animo, non dubitavit etiam legationibus de re gesta mittendis imitari principum morem, & ea, quae auspicijs suis, fratris ductu gesta in Vulturenis essent, demonstravit Pontifici maximo per Augustum e fratribus tertio loco natum, qui Romae agebat; Caesari per Carraciolum Protonotariū; Senatui Veneto per Leonem Arigonum; principibus Regibusue alijs per nuntios alios, perque literas, quarum exempla vidimus. At apud Sfortiam, interprete Bentiuolo, simulabat, communis vtilitatis causa sese expeditionem eam sumpsisse in Vulturenos, & noua illa conquisitione contentum remissurum pleraque de conditionibus, & pacem quocunque modo vellet ille, conuenturam. Vicissim ab Sfortia simu-

laba-

labatur; quòd regione ea Rhæti depellerentur, gratum sibi lætumq; esse; namq; fuisse Mediolani Ducum olim, nec debere ultra barbaris relinqui. Talia inuicem finxerant iactarantq; mutuo infensi, interimq; Sfortia diligentissime Caesarem monuerat, de subita impressione Medicaei in Vulturenos, & quid negotij foret, si ille ibi figeret pedem. Inde cuncta statim infesta Medicaeo; subducti Hispani, quos in exercitu habebat, denuntiatumq; Sittico pro hoste ipsum fore, nisi dimitteret legionem, quam illius nomine conscripsisset, ipseque maneret domi. Cùm tot repente pericula Medicæum exterruissent; hinc digrediens quotidie Caesaris iussu miles, hinc subtracta Germanica legio; simul instans ab tergo Sfortia ruptis inducijs, & maiore numero defluentes è montibus Rhæti, pretium ei fuit reuocare Gabrielem ex Vulturenis, militesq. qui cum eo erant, ne repente ibi opprimerentur. Omissis ita Vulturenis, bellum deinde aliquam diù gerebatur inter Sfortiam, & Medicaeum æquo prope Marte non sine admiratione hominum & fremitu, quia Dux Mediolani tanti terroris nomen etiam inter magnos antea Principes aduersus exfulem nunc vnum, habere delectus, & emittere cogèretur ab vrbe agmina tamquam aduersus irrupentes nouo agmine Gallos, vel certe tamquam iuncta rursus hostium etiam aliorum arma Metropoli imminerent. Pugnatum est classe primùm in Lario lacu; eoque praelio superior Medicaeus fuit; Sforciani superstitis concitatis in fugam nauibus ad
Gra-

Grauedonam appulere . Ibi assumpta Rhaetorum manu, cuncta fere, quae Medicaeus circa lacustrem eam oram tenebat, inuaserunt, validoque praesidio munire Belasium, quo nomine collis in promontorij faciem, medio fere spatio Leucum inter & Mussum, imminet lacui, quae flectunt sese undae No-uocomum versus. Gesta nauibus haec, praebente lacu acquoris vicem spatiaque classi, & fluctus, & quicquid etiam in pelago existere saeuum atque atrox potest. At in Briantaeis terrestri dimicatione, non minus casuum, & periculorum, & caedis in v-traque parte fuit. Summa rerum ad Montemacutum constiterat existimante Sfortia nequicquam in Larij vel Abduae ora res prospere gestas fore, si arce ab illa Medicaeus, hinc Orobios, hinc Briantae os teneret. Itaque misso illuc exercitu, obsessa, & oppugnata, deinde capta est, quomodo pertinacissimas olim gentes, post omnia, quae pati potest humanum corpus, cessisse demum necessitati litterae veterum prodidere; ibique ciuium Mediolanensium, quiue secuti Medicaeum propugnabant arcem, quiue ab Sfortia missi perrumpere illa rebellium munimenta nitentur, enituit prope ad miraculum, & cum horrore spectata est, siue virtus, siue quaedam ex virtute rabies. Criminalem quendam Medicaei signiferum ferunt, cum ipsius frater ad custodiam defensionemque propugnaculi vnus appositus ex vulnere cecidisset, eoque casu perterriti ceteri segnus iam repellerent scandere nitentem

Yyyyyy tcm

tem munimenta illa hostem, conspecto discrimine
prosilijse illuc, & arrepto mortui fratris crure, pro-
iecisse cadauer e muro, ne tristis ea species auerteet
à pugna animos, & ipsum deinde pugnassee vi tanta,
truces vndique circumferentem oculos, vt Sfortiani
plerique adspectum ferre non possent. Idem postea
captus perductusq. Mediolanum, adeò commouerat
animos admiratione virtutis, vt ingentium rerum
promissa adhiberentur ei, si in Sfortiae militare ca-
stris, & fidus esse Principi vellet. Abnuentem di-
mitti iussit Sfortia, virtutem etiam in rebelli & trans-
fuga admiratus. Crediderat enim Ioanni Baptistæ
Speciano præfecto rerum capitalium, qui spectatore
se fuisse aiebat tunc cum debilitatis commilitonum
animis præsidioq. labante ob centurionis necem,
insiliens ille in muros, contemptor fraterni sensus in
praelij discrimine, contemptor vitæ capitique sui,
proijceret in medios hostes corpus exanguie fratris
idque strage hostium sepeliret, & vndique incidenti-
bus in ipsum telis pertinacissime tueretur locum, do-
nec eo capto, propugnaculum simul locusque ille ca-
peretur. Ob tantum animi robur, & quia pertinaci
in Medicæum suum fide maius constantiæ specimen
dederat, est dimissus. In Sfortiæ exercitu penè par-
huic Franciscus Bernardinus Petrasancta celebraba-
tur. Eum quoq; corpore vno multas æquantem ho-
stium manus, & exisse vexilla in muros, & deiecisse
qui propugnabant, & scandere conantes alios mani-
bus alleuasse suis aiebant. Montem acutum per dies
aliquot.

aliquot oppugnatum ita atq; obsessum nocturno egressu deseruere inclusi conspecto pridie sigro quod Medicaeus ex obiecti montis vertice sublaturum sese docuerat cum discedi inde vellet. Eo nunc edito sigro, desperata defensione Môtis acuti vocauerat suos ad cetera tuenda, Mussum nempe & Leucum, & si qua alia ex Lario lacu, vel ex Abdua flumine spes maneret. Collatis in eam partem viribus, & reparata classe, dum ab Musso Leucum navigant, obuia circa Mandellum Sfortianorum naues fuere, protinusque dimicatum. In ea pugna Gabriel Medicaei frater cecidit, quo luctu ad desperationem ille ferme est prolapsus. Iuuenis erat annorum **xxi**. eximia corporis specie, sed indole animi, omnique bellica arte longe praestantior; negligentiaq; sui male cinctam illam, ideoq; terribilem adolescentiam Caesaris referebat. Aperto pectore, nudus crura, capite intecto, vili paruoq. cibo contentus; sed quoties expedierat, in Germanorum praecipue conuiujs effusissimus citrà noxam deformitatemq; potator, & pecuniarum idem ad belli vsum accumulator occultus, quarum latebras moriens vltimis vocibus indicauit. Huic dum ducitur funus, annuere hostes, vt induciae essent, corpusq; in D. Iacobi Aedem quae supra Leucum est, militari pōpa delatum; atque mortualem eam ceremoniã quieti Sfortiani spectauere e castris suis, & indoluisse multos constabat. Adeò grata fama iuuenis eius etiam apud hostes fuit. Templum postea ipsum, in quo situs ille fuerat, fratris expians manes Pius IV. auxit

Yyyyy 2 donis;

donis, quae ad salutem animorum fructumq; vitae alterius indulgere maxima & amplissima mos est Apostolicae Sedi. Medicaeus, vbi fratri dederat inferias, magno insuper aliquo Sfortianorum damno, sanguineq; hostili parentare eidem volens simul, & obsidione eximere Leucenses, nocte, quam facer Virgini Martyriq; Barbarae dies sequebatur, assumptis è suorum numero nonaginta duobus, quorum virtuti maxime confidebat, monitisque eis, vt alba tegmina singuli, pallio superiniecto atro assumerent, inuocata Martyris ope, cuius peruigiliorem gesturus erat, feliciter hostium munimenta transgressus, alios somno demersos obtruncat, femifopitos attonitosque alios, & aegre molientis arma prosternit ipse interim cum sua palliata acie intactus. Stricto deinde ferro sicuti ibat, per media hostium castra sibi aperiens viam, peruenit in Tribuni militum tentorium, ibique hominem reperit agentem impudice noctem eam ob amorem agrestis feminae, quam viro abductam trahebat secum habebatque coniugali licentia. Exterritus tumultuoso ingressu tribunum simul & scortum, cumque verbis increpans insuper adiecisset; sicine Sfortiae negotium geritur? iniecit vincla Tribuno captiuumque abduxit. Alexander quidam is erat Mantuanus, qui magno postea pretio redemptus à suis, ob dedecus abiit domum, neque Mediolani amplius fuit. Sic nocte illa Medicaeus parentauerat fratri, solueratque prope obsidionem, & pa-

ri deinde per dies aliquot fortuna fere potiebatur iterum lacu . Gabrielis Cerbelloni virtutem inter eas expeditiones plurimum enituisse ferunt , cum penè puer adhuc ille esset . Affine genus ei cum Medicaeo , atque propinquus ab materna origine sanguis erat ; & vtriusque fortunae socius consobri- no iste , alumnusque eius in re militari, debuit etiam eidem ad famam praeconiumq; virtutis harum lite- rarum testificatione coniungi . Fugerat vnà cum eo Gallicas indignitates, miseriaeq; vrbis, & ipsam de- formatã tam captiuitate vrbem. Vnà carus acceptus- que Principi , rebellis & fugitiuus vnà , calamita- tum expeditionumque omnium comes ; & simul at- que per aetatem potens armorum esse coeperat , nihil sine eo Medicaeus gessit . Secutis postea tem- poribus, cum regente Vrhem Vasthio Medicaeus ob suspiciones exortas in Iouis arce detineretur , pe- netrauit illuc alieno habitu , custodibus elusis , & salutis viam consobrino ostendit . Rursus, postquam, mutata in melius fortuna , blandimenta in Medi- caeum omnia ab Hispano regnante conquirebantur ; particeps item eius mutatae fortis fuit ; ac vicissim ipse , quacunq; in parte Hispana arma essent , ceu praesidium aliquod singulare expetitus , prae- fuit militiae muneribus , quae illa regnantium na- tio relinquere apud Italum hominem posset . Tu- netanum quoque Regnum pro Rege administrare iussus , & tota mox ingruente barbaria circumuen- tus, luit captiuitate illa , tamquam flagitium inter

Hi-

Hispanos , quia imperitare ausus fuisset . Sed vir tantus , & tanta fortunæ varietate confictatus , in ætatis rudimento hoc tempore erat ea apud consobrinum opinione prudentiæ , vt quotiescunq; grauius aliquod discrimen aditurus iste esset , relinqueret ei obsignata consilia & mandata , quid geritentiarique oporteret si casu fortè aliquo ipse fuisset interceptus ; atque nocte præsertim illa cùm plena hostium castra numero exiguo aggredereetur , docuerat secreto colloquio adolescentem , quam insistere deberet spei salutisq; viam , si capi , vel perire ipsum contigisset . Ceterùm , post eius nocturnæ irruptionis euentum , post alia etiam prospere à Mediceo gesta , post amissi fratris cladem , Episcopus ille Vercellensis , quem à Sabaudia Duce legatum in urbem de pace venisse memorauimus , prospiciens , hinc labantem Sfortia vitam , imbellemq; animum , & apud eum aptiora cuncta paci quàm bello , hinc apud Mediceum res incertas & in lubrico fortunam , & fractos Gabrielis nece spiritus , funestamque domum , sperauerat in ea rerum & animorum inclinatione rem ipsam posse confici cuius causa missus ipse esset ; neque spes eum fefelit . Repetita actione , & iactatis iterum conditionibus , pax denique conuenit inter Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem , & Iacobum Mediceum gladiatorem primo deinde exulem , postremò , hostem ac prope debellatorem , Principis sui , & facta pace , post illius mortem in nouo dominatu fidum Regi & carum .

Sum-

Summa conditionum hæc fuit adductis ad æquitatem capitibus, quæ Medicæum antea prope æquando fortunæ Principis, vt iniqua & indecora offenderant animos remq; turbant. Nunc erant honestiora omnia, discrimenque agnoscebatur inter eum qui veniam dabat, & eum, cui venia fuerat opus. Omitteret Medicæus cuncta quæ occupasset, Mussum & Leucum, loca alia omnia, terras omnes; instrumenta quoque belli, tormenta, naues, sulphurei pulueris copiam, pilas, & quicquid frumenti siue salis haberet. Persolueret Sforcia Medicæo quadraginta millia nummum aureorum, mille annuos assignaret: Meliniani Demarchum appellaret, ipsum posterosq; eius: fratribus Medicæis, & omnibus, qui partes secuti eas fuissent, reditus in patriam daretur, venia obliuioque præteritorum esset. Hæc ita conuenerant. Sed maluit Medicæus relictâ patriâ conferre sese ad Sabaudia Ducem, quàm in eius imperio viuere cui rebellis fuisset; abiitque cum fratribus suis, datis etiam ab Sforcia militibus, qui ad extremos vsq; prouinciæ fines præsidio simul & ornamento essent. Sfortia deinde ipse moritur factotestamento, quo Caesari legabat imperium; & missa in regiam legatione Mediolanenses, sese urbemque ei, & sua omnia illico permisere petentes simul vt quanta fide & alacritate ipsi venirent in ditionem imperiumq; eius, tanta clementia, & benignitate Regum maximam suscipere ac tueri semper vellet. Principes legationis fuerunt, Maximilianus Stampa, & Philippus

Ar-

Archintus, de quo postea Archiepiscopo Urbis alibi dictum est, ceteraque de irrito eius Pontificatu, postea, sicuti successere, tradentur. Tam gratæ, & rebus opportuna suis legationi respondit Caesar omnia, quæ renuntiata Mediolanum gratissima esse ciuibus possent. Agnoscere se Mediolanensium suorum obsequium & plenam fidei voluntatem; agnoscere quòd temporum culpa accidissent quæcunq; essent vitio data ciuitati generosæ, populoque nobili & graui. Quoniam ea sua opinio de Metropoli esset, re etiam ipsa effecturum, vt omneis intelligerent, nullã in imperio suo gentem esse, quam in pretio & caritate maiore haberet. Eius suæ voluntatis animique pignus id referrent domum, quòd omneis magistratus, omnia iura, quæ Mediolanenses antiquitus tenuissent, tenere etiam imposterũ iuberet, formamque & leges manere ciuitati, quibus legibus fundata olim per tot sæcula florens incolumisque stetit. Haec in commune legatis responderat Caesar; Archinto deinde separatim dixit, velle se opera eius vti; proinde ex aula ne discederet. Simul consiliarium suum eũ creat: muneris tituloque huic conuenientem & decorum in aula locum assignat. Fuit deinde apud Caesarem in eo munere Archintus, donec Pauli III. Pontificatu de re maxima & grauissima missus Romã & Pontifici illi probatus, inuitatione hortatuq; eius ad Ecclesiasticam vitam adiecit animum; idque principium ei honorum fuit, vnde per gradus ad Patriæ Pontificatũ peruenturus erat, vt in honoris denique eius aditu prope

prope exul cum ciuium dolore extingueretur. Nunc
fausta ei secundaque cuncta erant; flagrans apud
Caesarem gratia: spes Mediolani de ipso ingens: apud
Pontificem Maximum cognitae virtuti dexteritaeque
honus: quodque maximum omnium fuit; in Caesaris
aula, inter Hispanos, homini Mediolanensi, nulla inte-
rim maleuolentia, quæ praesenti, vel absenti, palam,
siue occulte noceret. Id namq; demonstrauere Caesa-
ris testimonia de ipso; & inuitus ab se hominem dimisit,
ne Pontifici negaret, cuius demerendi occasiones om-
neis tunc vltro etiam conquirerentur. Peracta Roma-
na ea legatione, cum Archintus reditum ad Caesarem
pararet, appellat eum benigne Pontifex Paulus, quod
bona Caesaris venia facere queat, vt Romae esse deinceps
velit, ac sperare ibi praemia, quae virtuti nunquam
defuerint apud Apostolicam Sedem; honeste sentire se
de eo, nec dubitare quin ipsius opera publicis Eccle-
siae rebus utilis esse possit. Ille praefatus pauca de eo
quanti tale de se iudicium Pontificis faceret, excusata
Caesaris maiestate, dimittitur in praesentia quidem &
Caesari impigre nauare operam iubetur. Sed paulo
post, dum renuntiata legatione, alia deinceps, atque
alia Caesaris mandata exsequitur, adfuere Pontificis
literae, quæ Apostolicae Sedi hominem concedi eum
postulabant, litterisq; eis acceptis Caesar haecenus
dubitauit, vt Archinti voluntate super eare exquireret.
Postquam is nihil arbitrij sui esse, nutusque heriles fore
sibi pro imperio simul & pro voluntate aiebat, horta-
tio Caesaris est insecuta, Romam vti proficisceretur;

Zzzzzz sic

fic Pontifici Maximo placitum esse; eius autoritate se quoque commotum annuisse, vt viro egregio fidoque ministro careret. Ab eo colloquio Archintus Romanae profectioi sese accingebat. Sed antequam ex aula abiret, retulit ad Caesarem in supremo concilio, sanctioreq; Senatu de lite Montisferrati, quae per eos dies magnis agitata contentionibus, & ad bellum prope deducta, Caesaris arbitrio componebatur; isque Archinto mandauerat, vt cognitis causae momentis, rei statum & sententiam suam exponeret, quò promptius aequa, & iniqua discernerentur. Cùm enim Bonifacius Montisferrati Marchio, & Ioannes Georgius eius patruus, ille lapsu & consternatione equi, hic morbo absumptus, vterque sine vlla liberum stirpe decessissent; treis simul exorti, Sabaudus, & Mantuanus, & Salutiensis hereditatem adire volebant eam; & sua iura singulis erant, singulos armabat spes & fiducia praesidij alieni, cùm instinctu & fauore potentiorum vnusquisque niteretur. De ea controuersia exposuit Archintus apud Caesarem & Selectos, quicquid inspecto successuum & gentilitatis iure, originibusque examinatis, ad iudicij eius aequitatem pertinere statuisset. Romam deinde proficiscitur, & parato statim ad sacros honores aditu, Protonotarium Apostolicum Pontifex Maximus eum creat, non ex centum millibus illis, qui pretio definito paruoq; aere nulli denegata vocabula emunt, sed ex nobilioribus inclytisque septem, qui iam inde à Clemente Primo, scribendis Martyrum casibus instituti, in tantam postea dignationem

tionem peruenere, vt Episcoporum dignitati antestarent, donec à Pontifice Pio, modus imponeretur. Maasit tamen honos vetustae origini, & ampla emolumenta titulum sequuntur, ac patrum nostrorum memoria Pius IV. cum D. Carolum sororis filium adiuuere sibi & summis Ecclesiae rebus vellet, initia tantae spei ab rudimento hoc sumpsit Protonotariumq; creauit eum vnum e septem. In eundem nunc ordinem numerumque Archintus ipso Pontificiae familiaritatis initio ascitus, per vestigia illa D. Caroli ad Patriae Pontificatum ingrediebatur. Paulò postea, Praefectus Urbis ab eodem Pontifice est factus; eamque praefecturam ita gessit, vt seueritatis, & innocentiae eius pleraque exempla magistratum eundem inuiti perhorrescerent, donec, sicuti cetera mortalium, ex fama praedicationeq; communi exoleuere. Sed & come ei inter facetos humanae vitae casus fuisse ingenium memorant; atque inter cetera tale quiddam narratur ex Romana illa praefectura litteris mandatum ab ijs, quibus custodire ista curae fuit. Peregrini duo homines in vrbe, Hispanus quidem alter, alter vero Germanus, cum eidem mulieri assueuissent, eaque neutrius fortasse satu peperisset, quod natum erat, ambo vindicabant sibi, & eius incertae prolis vterque dici se se parentem volebat. Cum cedere inuicem nollent, ad praefectum Urbis in ius iere, vt alterutri partum ille adiudicaret. Archintus scorto interrogato, mensibusq; computatis, nihil tamen ad eius iudicij veritatem aliquandiu extricabat. Demum circa patriam eorum, qui prolem sibi eam asserere vellent,

Zzzzzz 2 callide,

callide philosophatus , rationem iniit , qua naturam quodammodo ipsam interrogaret . Relictus ob eam litem in materno tecto infans iam pede certo signabat humum , poteratque voces & nutus intelligere quosdam elementa quotidiani sermonis . Hunc in conspectum suum produci iubet . Vbi adfuit , mandat dari falsamenta nonnulla puerulo , atque sic irritata siti , pocula duo admouentur , vt tam ex vini , quam ex aquae capedine bibere possit . Ille , contracto ad Bacchi liquores vultu , vinumq; adspersus auide lambebat aquam . Tunc verò Germanus (aderat enim vterque litigator) sublato incondito clamore negat vltro suam esse prolem , atque is controuersiae exitus fuit . Seueriore mox alia subtilitate nobilitata est praefectura illa Archinti , de qua item , sicuti accepi , referam . Iuuat enim memorare ista , vt quoniam erepto nobis per hominum iniurias interceptoq; tali Pontifice, fructus simul animi ingenijq. eius perire vibi Ecclesiaeq; huic ; quales futuri fuerint saltem ex antea acta ipsius vita rebusq; apud alios gestis , notitia aliqua extet . Vir princeps Romae testamentum in haec verba fecerat . Ex duobus gentilibus meis , Lucio & Caio , vter eorum maior natu erit , mihi exasse heres esto . Cùm autem essent isti Lucius & Caius eodem die nati , alter quidem Viennae in Germania , alter verò Cordubae in Hispania ; indelites , & vt in magna hereditate , tota causidicorum rabularumq; turba occupata concursationibus , & iurgijs , & quaestu ; principesq; ipsi vrbis , studio & fauore in
hunc

hunc aut illum rabulis & caudicis tumultuose immi-
scebantur; neque contentioni finis erat. Archintus,
vri totam Mathematicorum artem iam inde ab ado-
lescentia egregie percalluerat, ab scientia studioque
illo petijt argumenta dijudicandae liti, quam nulla
Jurisperitorum responsa dijudicare potuissent. Inspe-
cta namque positione celiplagarum exortiuoque pun-
cto, qua in parte sol prius oriretur, in ea natum ho-
minem, maiorem esse natu demonstravit, quàm qui
eodem die in parte altera natus diei lumen po-
sterior vsurpasset. Subtilis & vera ratio visa iudi-
cibus est, atque testatoris voluntati ita satisfactum.
Crescente deinde quotidie magis fama Archinti hu-
ius, Sacerdotijs amplis ornauit eum Pontifex Maxi-
mus & S. Sepulchri in Etruria Episcopum fecit; nec
ideo tamen ex vrbe dimittebatur; credo, quia ma-
gnis Ecclesiae negotijs fieret, magnisq; necessitatibus,
vt nota iam prudentia viri magnaeq; virtutes hone-
standae simul & retinendae in aula essent. Ad consi-
lia negotiaq; omnia adhibebatur, & grauissimi cuius-
que consilij author ipse erat. Is Pontifici suavit, vt Ca-
rolum Caesarem & Regem Franciscum Nicaeam ad
spem pacis exciret: cum Pontifice illuc est profectus;
atque in agitando ibi pace, tum ab Regibus ad Pon-
tificem, tum à Pontifice ad reges comēasse quoti-
die Archintum constat. Vt veto ab irrita illa actione
Nicaenoq; congressu reditum est Romam, Cameri-
natensi expeditione legatus exercitui datus, sapientia
& auctoritate recepit urbem maiore gloria quàm fi-
acie

acie dimicatum foret. Tum Vicarius Pontificis creatur, & pro Ecclesia priore quam obtinuerat, Salutiensem ampliorem adeptus, id quoque quo nihil dare Pontifices augustius possunt, accepturus erat, nisi Paulum vita repente destituisset. Ab Iulio III. successore Pauli missus Venetias Archintus, quomodo ex ea legatione ad Mediolanensis Ecclesiae Pontificatum arcitus fuerit, postea demonstrabo. Nunc hosce Archinti progressus interiectis alijs Patriae casibus temporibusq; disinctos coniunxi vno narrationis tractu, vt expeditiora mihi ad narrandum cuncta essent, quae Mediolani euenire, postquam, Sfortia mortuo, Carolus Caesar imperium vrbs tenuerat. Namque ad primos de Sfortiae obitu nuntios simul & rumores, sicuti Caesar inuadendae vrbi erexerat sua sponte animum, & accepta dein Mediolanensium ipsorum legatione, tantò promptius incubuerat in eam rem adieratque possessionem imperij huius: ita Regem Franciscum Gallosque proceres, vetus & toties infelix, & nunquam satis punita libido lymphauerat ea spe, cuius temeritatem, Italiae terris abominata gens, & cladibus semper, & ignominijs luisset. Itaque stimulis nunc acti iisdem, aggrediendam esse Metropolim fremebant. Actum tamen cum modestia & ratione nonnihil, missoque Mediolanum caduceatore Rex Franciscus, dedi sibi urbem postulauit antequam ab domo exercitum moueret. Verum, vbi Senatus populq; Mediolanensis, contempta postulati eius leuitate, Austriaca vexilla Caesarisq; nomen locis omnibus

attollebant, & eo imperio laeta ciuitas, quasi libertatem adeptam gestiebat; rei eius inuidiam frementes in Hispanum Galli rursus armantur; bellumque nouum inde exortum est, quod per vigintiquinque annos varia fortuna exercuit Reges, ducenta millia mortalium absumpsit, maria terrasque infecit caedibus, & urbem, de qua dimicabatur, intactam reliquit. Non enim fuerat animus & audacia Gallis, per vestigia cruenta maiorum suorum tendere in Insubres; sed omissa Metropoli, campisque circa eam, qui sepulcra semper suae gentis fuissent, incurfauere Subalpinos, quia Dux ille Caesaris sororem in matrimonio haberet, eiusque praesidio niteretur, laedi sic oppugnarique Caesarem existimantes, & Metropolitanano quoque bello viam tutius ita aperiri. Caesar vicissim cum infesto exercitu transgressus est in Galliam; atque ut ad id bellum vteretur terrae eius milite, quae causa belli erat, asciiuit legiones ex agro Mediolanensi; primoresque urbis & ex reliqua nobilitate clarissimum quemque militiam, duces esse legionibus, ac secum ire voluit, siue ut obsides publicae fidei illos haberet, siue ut spectatam iam satis cognitamque fidem ea vicissim animi sui significatione complecteretur. In eo Gallico bello Antonius Leua moritur absumptus moerore ob rem ibi male gestam, eiusque corpus, amici, quibus ipse mandauerat, deportauere Mediolanum, & in D. Dionysii Aede, quam ab eo extitutam fuisse diximus, splendide sepelierunt. Imperium atque potestatem, quam ille Mediolani habuerat,

rat,

rat, diuidi melius visum; diuisaque est ita, vt exerci-
tus, & arma, & res tota militaris Alphonso Daualo,
quem Vasthium dixere, traderetur; vrbis & prouinciæ
gubernacula penes Carraciolum Cardinalem essent.
Carraciolus hic ille erat, qui sub Protonotarij nomine
fidus Caesari saepe etiam antea in parte rerum & hi-
storiae huius fuit. Nunc Caesaris commendatione ac
beneficio sacrum latum clauum adeptus, atque ob id
beneficium auctâ apud dignitatis & fortunæ suæ au-
thoré gratiâ, idoneus habitus erat, cui nouæ prouinciæ
securitas & magnitudo in tanto rerum discrimine nite-
retur. Primam Caesari coronam ad Aquas Grani im-
posuerat: legationes obierat; & à Paulo III. fuerat in
Patres, Caesare, sicut dixi, producente cooptatus.
Ita de eo perhibet ad dextram Templi maximi partem
iuxta sacrarium tabula subiecta, vel potius insita mo-
numento, quod posuit Cardinali Ioannes Baptista fra-
ter ex atro marmore, cuius fulgor, atque coagmenta-
tio, naturæ illud, hoc artis opus, detinet elegantia,
& maiestate homines etiam, vel spectandi tantum cau-
sa ingressos templum, vel iam operum ibi aliorum ad-
miratione fatiatos. Non enim tumulus ille res est
vnâ, quæ alliciat oculos; sed faxa speculi vicem præ-
bent: color micat ater: & prope inaedificatum parieti
templum aliud cernitur, vt contrariorum quasi mistu-
ra possit esse spectaculo, si nihil aliud in artificij magni-
tudine spectabile admirandumue esset. Tum verò in-
tentum operis descriptioni artificioq; spectatorem glo-
ria statuarum auertit. Hinc parens vrbis Ambrosius,
hinc

hinc Hieronymus stant iuxta defunctum velut argumēto literararum, & sacrae doctrinae, quæ Cardinalem deceret: superne principes Apostolorum velut Ecclesie propugnatori praesidium vicissim opemq; pollicentur; ipse protenso supra cenotaphium corpore, in abolla & infula cubito leuat caput ad instar fere dormitantis. Haec ex candido marmore simulacra moles illa nigra & funesta attollit, quæ intuentes eruditi, cetera parum mirantur, & vnum istud quaerunt; quomodo potuerit pecunia artifices inuenire tam praeclaros. Sed me prope pudet admiratum esse ista, quasi putrescere cum pompa, & fastu, gloriosam esse rem & historia dignam putarim. Carraciolo hoc tenente urbem, Vasthio rem militarem administrante, Medicaeus vnà cum fratre suo Ioanne Baptista, Mediolanum redierat, velut in nouo imperio, spem gratiamq; nouam ibi sua in patria libere secuturus; & rediens in Hispaniam Caesar, benigne ipsum allocutus esse ferebatur. Agitassetne adhuc ille turbulenta aliqua consilia, rebusq; nouis impatiens aequi studisset, an verò, quietum iam, experiendoq; fatigatum, aliena inquietudo, malitiaue, & lior, & falsæ fortasse suspiciones in periculum adduxerint, incertum fuit. Vasthio certe perniciem ei machinabatur, & hominis absq; tumultu comprehendendi rationem inierat hanc, si deliquerat ille, solertem & grauem, si immerito circumueniebatur, indignam atq; perfidiosam. Natalitia Christi aderant, quorum dierum gratulatione mittunt inuicem xenia ciues, mutuoq; inuitatu exhilarantur. Vasthio iam antea communicatis cum Car-

A a a a a a dina-

dinale gubernante suspicionibus de Medicaeo suis, ita cum eo composuit rem, ut ipso Protomartyris die, seq; & Medicaeos fratres, & aliam praeterea amicorum manum in Aulam ille inuitaret. Possit ita sub vesperam conuiuio egredientes, circum fusa repente Praetoria cohorte comprehendi duciq; in arcem; factumq; ita est, & sesquianni deinde spatio Medicaei in vinculis fuere, donec interrogati & absoluti, vadibus tamen datis Caesaris iussu dimitterentur. Sunt autem dimissi multum concursante Protonotario, qui de fratrum capite sollicitus, & apud Nicaeam Caesari suppliciter abstulit ab eo literas, quae Vasthio redditae, fuere eis saluti, cum alio quodam modo dimittere eos hic pararet. Sed & alij plurimum solliciti fuerant, ne Medicaeis capita detruncarentur; mirumq; videri potuit, quod ad eripiendos periculo eos exarsere principum etiam studia, quorum intererat sanciri exempla aduersus rebelles; & prope Hispanorum inter ipsos pugna erat, de puniendis Medicaeis, aut dimitendis. Aluarus Luna praefectus arcis, Mediolani apud Vasthium; & Granuelanus in Hispania causam eorum mirifice egerunt. Simul ex Germania, Rex Romanorum, adiuuante Sittico deprecator fuit. Neque dedignatus est Florentiae Dux Alexander, cum super ea re litteras ad Vasthium scriberet, consanguineum suum appellare Medicaeum hunc, & gloriam inde petijisse videbatur. Amici quidem & propinqui, periclitante Medicaeo, velut focij discriminis ita laborabant; ipse vero nihil vnquam interea dixit nisi bellatore spiritu; nec vlla commendatio cuiusquam, vllumue

lumue testimonium perinde valuit ad innocentiae fidem, quàm contumacia silentiumque ipsius. Rupit quin etiam minaciter fere vocem aduersus Vasthium ipsum tunc cùm dimissus ex eius conspectu abiret. Namque monente Vasthio in digressu, vt honestè deinceps integreq; ageret, honoratum se virum esse respondit, & ei qui aliter sentiret, gladio probaturum. De captiuitate Medicaei fratrumque ita accepimus non tamen omittenda varietate, quae memoriam adeò recentem labefecit. Nam Gabrielem Cerbellonum eadem cõ- uiali fraude circumuentum, & in eadem vincula abductum aliquis tradit: vult alius, eaq; sententia verior est; non fuisse Gabrielem in arce captiuum; sed vt antea memorauimus, caritate desiderioq; Consobrinorum, deceptis custodijs, consilia fugae & artes ad eos introtulisse repudiatas ipsis eodem spiritu, quo vincula crimenque contemnebant. Voluerant enim, aut mori illic, aut cum gloria famaue exire hac, ut falsi criminis inuidia onerati, & Caesaris sententia ipsius absoluti fuisse dicerentur. Ceterùm, cùm dimissi, vadimonio interposito essent, iam Cardinalis Carraciolus prouinciæ administrator diem suum obierat humili accepto tumulo, dum illa, quæ uisitur hodie quæue dicta est, sepulcri moles in templo maximo excitatur. Successerat ei Vasthius idem, qui militare antea imperium tenebat, & cùm in eo munere, nullus ei successor à Cæsare mitteretur, exercitum simul prouinciamq; habebat, quæ ante Cardinalis obitum diuisa inter duos fuere. Fuit Vasthius moribus optimis, animo excelso,

A a a a a a 2 pro-

prodigus opum suarum, sed minime rapax alieni, neque malam vilam prioris Dauali similitudinem in eo reperires, cum familia genusq; idem esset. Nec abfuere belli artes quascunq; seniori illi tribuit fama. Studiosus insuper artium bonarum, & ubi quid persuadere vellet, veterum ducum facundiae par habitus. Iam simplicitas ei tanta, candorq; animi tantus, vt Medicaeo ipso, post captiuitatem de qua demonstraui familiarissime vteretur, & rebus deinde aduersis sollicitudines cum eo suas, velut cum amicissimo homine communicaret. Oblitum quippe putabat eum praeteritae suae calamitatis & periculi, perinde atque oblitus ipse erat criminum, quae non aliter quam coniectis in vincula reis dissolui potuissent, eoque necessitate & arte fuisset usus. Sed Medicaeus alte condiderat animo memoriam eius facti, ridebatq; amarum, tacitusq; & infensus ex colloctionibus arripiebat illis omnia, quae pro crimine vicissim obijcere aliquando ei apud Caesarem posset; ac tanto plura ille quasi apud amicum quotidie effundebat. His moribus, & hac innocentia magnitudineq; animi praeditus Vasthius cum ad prouinciae gubernacula admotus fuisset, cunctaq; Mediolanensium ei vni obedirent, res etiam Ecclesiastica sub tali principe tantum spiritus & incrementi recipiebat, quanta erant damna, quantumque moeror ex diuturno Pastoris desiderio, qui per totiam annos assidue absens tenebat Ambrosiana vectigalia & fundos; operam vicissim Ecclesiae nullam impendebat. Mox etiam Vasthium, res aduersae ac turbulenta occupauere primo, deinde abdu-

xere,

xere, merore demum senioq; confectum eripuerit Caesari simul, & nobis, Ecclesiae pariter & ciuitati; eademque mala, non tam Vasthij quam ciuitatis & Ecclesiae huius fuere, penè vt ad pristina calamitatum humanarum exempla redigeremur. Initium ortum ab Hispanis legionibus, quae apud Subalpinos oppositae Gallo, pro Caesare simul & Sabaudiae Duce rem gerebant. Is miles, ob non persoluta mensium aliquot stipendia, palam exsuerat obsequium; & praefectos, manipuli, vel centuriae quaeque suos adspersatae, relictis castris, aliae statim, aliae exemplum secutae, simul omnes ceu exercitus aliquis hostium, Metropoli circumfunduntur, & vastatis agris, qui circa urbem sunt, Urbis ipsi minitabantur. Vasthius, & promissis, & denuntiatione Caesaris irarum, conatus mitigare vel compescere eos, vbi frustra esse cuncta, gliscereq; in singula momenta seditio-nem videt, irruptionis metu armat ciues; in singulas vrbis regiones praesidia stationesq; disponit. Ipse cum praetorijs cohortibus idoneaq; alia manu, campum iuxta D. Eustorgij Aedem capit, vt ad omnes obire subitos motus queat. Ad Sanctae Crucis Aedem, vbi tecta tunc Humiliatorum fuere, conterminaq; Eustorgianis regio est, stationem Cremonensium habebat. Ibi in vicino, quae Turris Imperatoris dicitur, statio alia Germanorum erat. Connexae ita & armatae cohortes ad nutum intentae ducis exspectabant quam mox signum daretur, vel erumpendi in rebelleis Hispanos, vel obuiam eundi per vrbis vias, si irrumpere illi ausi essent. Sed cum Hispani contenti populatione agrorum,

rum, quacunq; auocasset eos praedae spes, vagarentur, neque vsquam confisterent, & otiosa ideo statiuam miles urbanus haberet, coepere, vt inter otiosos, & truces, & diuersi generis, & vicinos, militares ioci primùm, dein iurgia contumeliaeq; verborum oriri; demum ad manus quoque deueniebatur. Germani interea, qui ad turrim Imperatoris positi erant, Cremonensem fortè vnum longius ab suorum globo digressum interfecere. Cremonenses vicissim ab Sanctae Crucis Aede vadunt agmine ad Turrim eam Imperatoris, ibiq; comptantes nacti Germanos, arripiunt ex temulenta illa statione treis quatuorue, & quàm tigillum, arbusculaue fortè vna inuitarat, illic in vicino suspendunt. Praelia inde quotidiana inter ipsos, & ex praelijs licentia in urbem, vt armatae manus ad direptionem vsque sacrarum rerum proterue grassarentur. Id malum Vasthius sedauit alio malo, centum millia nummùm aureorum exhaustae tot iniurijs ciuitati cùm imperasset. Angebantur ciues grauitate tributi; sed metus ex rebellium incurfu, & damna defensionis grauiora erant. Legiones, acceptam pecuniã quieuerunt & abiere quò poena seditionis eas manebat. Poenae nunc miseriaeque omneis in populum Mediolanensem expetebant; & misso ad Caesarem Ioanne Baptista Archinto super calamitatibus urbis triste responsum datum. Nolebant aulici vera esse quae de legionum Hispanarum scelere ille attulisset. Granuelanus praecipuè infestus fuisse legationi, & Archintum, vt liberius acerbiusq; inuectum increpuisse dicebatur. Deinde, nimis etiam modeste peroratum esse cognouerunt,

uerunt; & in legiones eas Romano more animaduersum, decimi cuiusq; supplicio, siue expositis apud desertas insulas plurimis, vt illuue fameq; et miserabili exitu ceteris exemplum præberent. Militaris ea seditio, casusq; Vasthio calamitatis initium fuit, ut post aliud deinde infortunium, ex magna florentiq. fortuna, inimicorum quasi manu ad exitum uitæ raperetur. Namque, cum nullum ex ipsius uita crimen arripere possent, fortuita criminantes, alienaq; etiam flagitia uitio dantes ei, Caesaris aures animumque implebant, unde diminuta gratia, et ex eo moeror, quem ferre non potuit. Ac Medicaeus inter ceteros toruo semper animo reuoluens ueteris offensæ memoriæ seponebat accurate cuncta quæ ad inimicum euertendum possent usui esse, ac minime Longobarda Mediolanensiq. arte fingens amica uerba & uultum, instigator et minister aduersæ factionis ipse erat; accideratque opportune ei ad exercenda odia in absentem, ut Gandauensium rebellionis causa transgresso in Belgium Caesare illuc euocaretur. Caesar inde compositis Gandauensium rebus, Genuam proficiscens, ut inde in Africam traiceret, ex itinere uenit Mediolanum; pertinetq; tum ad Urbis, tum ad Ecclesiæ gloriam, narrari, qua ille, et ciuium, et Clericotius gratulatione acceptus Metropolitim uicissim exhilarauerit, ac tantæ maiestatis adspectu ex omnium animis tot præterita mala delerit. Per Tridentinas alpes in Veronensem agrum descenderat, tanto statim illuc principum Italorum concursu, quanta magnitudo nominis eius, & quàm insueta res Italiæ terris
Caesar.

Caesar . Vasthius ad Dulcium usque progressus bis mille et quingentos equites ab Mediolano eduxerat secum, omnesq; iuxta viam, qua intrandum Caesari erat, disposuerat ordine in subiectis pratis, vt sicut exculti ad certamen ornatiq. stabant, ingredienti apparerent. Nobilissimi Mediolanensium erant vna cum statiuis turmis, quae ad prouinciae praesidium perpetuo aluntur; eorumque adspectu laetus admodum Caesar dixisse ferebatur, & equos, & equites dignos esse fama vrbs. Dimisso inde equitatu alio, qui ipsum ex Belgio secutus erat, itemque dimissis principibus & legatis, qui ad primos Italiae fines occurrerant, cum Octauio Farnesio genero suo, & Cardinale Mantuano pergebat venire Mediolanum versus. Vrbs, tum copia artificum, tum ciuium ingenijs haud unquam secunda populo gentiue ulli, ad Caesarem accipiendum exculta in hunc modum fuit. Statim ab Portae Romanae ingressu porta triumphalis attollebatur, adstructo ad ascensum ponte, statuis ab utroq; latere erectis, quae totidem subiectas Metropoli vrbes referebant; & dispositae eae sic fuerunt. Ad dexteram, in parte pontis ima, primoque aditu, Derthona stabat ferens humeris Apenninum, scilicet, quia ad montis radices posita vrbs ea ultima Insubrú est. Hanc, sicuti ceteras, basis quadrata & lata sustinebat: altitudo singulis decem cubitorum fuit: è gypso erant, sed auro superinducto spargebant late fulgorem. In proxima basi, discreta iusto interuallo vrbs Nouocomum praegrandi Larium suum fundebat vna cum piscium
pro-

prouentu quos lacus alit. Inde Ticinum urbem incluy-
tam studijs litterarum, & amoenitate celi referebat
statua iucundi oris onusta voluminibus. Metropolis
ipsa iuxta arcum altiore loco, ceu propugnatrix, & Re-
gina ceterarum, induta thoracem, altero calcans pe-
de galeam, altera tenens manu claues urbis, & sceptrū,
& diadema coronando Caesari, manu monstrabat al-
tera subiectas vrbes nouo ingredienti domino tamquam
commendaret. Posita hæc simulacra ad dexteram fuere
in spondis, quae per totam pontis longitudinem ab v-
troque latere praefixae cancellis excurrerant. Ad lae-
uam oppositae illis, Alexandria, & Nouaria, & Laus Pō-
peia, & Cremona steterunt singulae suo habitu, qui cu-
iusque diuitias, ingeniumue & originem indicaret. Tur-
ritum Cremonæ caput: Alexandriae tempora & frontē
spicea corona cingebat: Laus Pompeia redimita pam-
pineo ferto tumentia vbera lacte ostentabat: & Noua-
riam ara pateraeq; & acerrae, & sacrificalis omnis ap-
paratus decorabat, propterea quod ea Noua Ara anti-
quitas dicta est. Inter harum urbium simulacra pons
ducebat ad arcum, altitudine, & ornatu, arteq; operis
parem superbiae, & arti veterum Romanorum, qui
adulatione erga Caesares primi hæc instituere. Ipso
in arcu, coronides & emblemmata, foliaq; columnis,
flores, cauliculi, volutae, superiores inferioresq; tori,
trochili, scotiae, moduli, plinthe, scamilli, supercilia, cy-
matia, acroteria, tympana, transtra, zophori, denticu-
li, astragali, capreoli, striae, teniae, guttae, apophy-
ges, echini, scapi, & quicquid aliud in eiusmodi moli-

Bb bbb b bus

bus ad elegantiam siue maiestatem prisca aut recentiores excogitauerunt. Quod inane & vacuum in substructione illâ, ornamenta haec relinquebant, id implebant simulacra victoriarum Caesaris, expressa coloribus; vt Mauros, vt Indos ille subegisset; vt domuisset rebelles; vt Regem Franciscum captiuum suum dimisisset ab se, redonassetq; Regno. Arcus deinde alius fuit in pontis aditu, quo nauigabilis fossa proximae turri iungitur. Ibi flumina, quae Prouinciam rigant, marinis assimilata Tritonibus, quae vera, quae fabulosa de origine & natura ipsorum tradita sunt, sicut vrbium etiã statuae, praeferebant habitu; atq; non ingrata peregrinis historia illa exhibebatur. In summo Romano stadio, quod vocant, triumphalem tertiam portam nobiles Romani constipabant facti omnes e gypso & inaurati cum insignibus paludamentisque suis, prout eorum quisque Mediolani olim gesserant rem, siue imperitarant. Ad fauces viae, quae tabernas aurificum hinc inde aperit, quarto in fornice, picta vrbis primordia legabantur; & muliebres statuae colossae magnitudinis aderant monumenta victoriarum. Sed nulla horum operum magnificentia aequauit quadriforem arcum, qui contra Templi maximi valuas quadrato fastigio equestrem Caesaris ipsius statuam alte erigebat. Vitrici resupinauerat hasta Indum & Maurum, eademq; manus nutantem in vicino Turcam appetebat. Austriacorum simulacra, quorum facta Latinae literae admirantur, intuentia nepotis ingressum simul spectaculo orant. Cùm exulta in hunc modum via esset, quae
Caesari

Caesari incesus parabatur, pompam tamen ornatumq. maiorem effusa, & intenta ad spectaculum ciuitas praebebat. Cupidine videndi tot victorijs clarum, tot gentium Regem, sub quo, post diuturni seruitij miseras, pristinae ciuilibus vitae bona fructumq. recuperaturi essent, velut natali Reip. die festam agentes lucem, loca omnia conscendebant, vnde prospectus aliquis pareretur. Prae multitudine spectantium, occupabantur tectorum etiam culmina, fulcrisq; passim erectis quasi noua vrbs pendebat. Canonici Templi maximi, Clerusq; vrbanus vniuersus, Senatores simul, & Quaestores, & Magistratus reliqui, separatis agminibus, insignibusque discreti, ad Portam processere qua Caesar expectabatur. Ille ad x. Cal. Septembris anni eius c13 13 xli. paulo ante solis occasum intrauit urbem, cum in Clarae Vallis Monasterio quietem eo die cibumq. sumpsisset. Tradunt, in ipso portae ingressu, conspecta cruce, sub qua Metropolitanus Canonici tetenderant, desiliisse illico ad pedes, trophaeque illa nostrae salutis uenerabunde amplectentem atque osculantem, & ipsum fuisse, qua erat pietate, lacrymarum aliquid in nouo imperio Metropoliq; adeunda, & omneis, qui uiderant, ita commouisse, ut pari animorum teneritudine gaudioq. collacrymarentur. Conscenso deinde rursus equo, per ea quae dixi spectacula ad templum maximum, inde in regiam processit. Sed non, sicuti breui confinio ac diuerticulo coniunguntur inter se Regia & templum, & sicuti breuiore etiam prece principes alios expleto ibi ultimo illo pompae actu statim in proxima Regia tecta

diuertisse vidimus, ita flexerat in speciem genua Caesar abieratq;. Multum quin potius ille precatus ad Aram, multumque postea contemplatus, tum vniuersae structuram Aedis, tum partes singulas, prout ab senioribus Canonicis praecipua quaeq; monstrabantur, specimen hoc populo Mediolanensi dederat animi, qui deponere etiam aliquando imperium, & intra sacrata claustra reliquam vitam agere meditaretur. Postero deinde & secutis diebus, ad visenda contemplandaque eadem redibat; ac de statu interim Ecclesiae Mediolanensis, deque Metropolitana iurisdictione, & de absentia etiam per tot annos Archiepiscopo pleraque percunctatus esse dicebatur. Sic tradidere scriptores, quibus tunc curae fuit obseruare eos Caesaris incessus, & excipere quae interim ab eo dicerentur. Idem retulere pari cura ordinem agminis, quo Caesar ab Porta Romana ingressu, in templum, & Regiam vsque est deductus; infana vestium & equorum pretia, & certamen opulentiae Mediolanensium, non inter ipsos modò, sed cum gentibus populisque alijs, quacunque ille incessisset. Et parte nonnihil etiam ista publicae hilaritatis narratio nostra recreabitur, quando semel contigit, vt post saeva bella, saeuiores in pace dolos, in laeta hac atque innoxia digrederemur. Ducebat in primo agmine pompam Aluarus Luna praefectus arcis holoserico caruleo indutus. Hunc fistulatores Hispani sequebantur in equis adducetos, suo, & equorum tegmine colore eundem imitati. Post Aluarum Lunam eiusque turmas, trecenti nobiles viri familiares Caesaris equitabant in quibus

quibus erant honorarij ephoebi triginta principum fere filij veterum magnorum Regum consuetudine. vt fiant instrumenta seruitutis etiam principes. Huic Regiae ephoeborum cohorti, quasi gemellam aliam cohortem addiderant Mediolanenses è proceribus vrbis intra tertium decimum aetatis annum: torques eis & cristae; gladioq; succincti distinctas argenteis clauis & obductas holoferico albo hastas tenebant. Vestimenta singulis ex auro gemmisque contexta. Par habitus trecentis alijs nobilibus ab decimo octauo ad vigesimum annum, vt tantam in iuuenum cultu opulentiam Hispani intuentes magnopere admirarentur, atque inter se etiam quaerent, quomodo tot defuncta casibus iniurijsq; ciuitas, toties direpta & vastata, tantas nuper apud Caesarem ipsum conquesta calamitates, sic repente ditescere atque luxuriari potuisset. Tam splendido iuuenum agmini succedere Praetoriani spiculatores, ne ipsi quidem absque luxuria & fastu, cum saga braccasq; & pileos, ipsasq. sarissas plurimo internitente argento vastius cunctis ad eandem formam dedisset; ac fulgore gestientes illo non sine admiratione Germani se ipsos intuebantur. Sexaginta erant; qui postquam transieribini, tum verò equestri nobilitate ciues ducenti prodire. Hi quaterni in ordinem prodibant: post ordines singulos armigeri ibant cum herili lancea & crista, quam ex animi sui libidine & ingenio vnusquisque variauerat. Frontalia ephippiaq; pretiosa equis, & in superiorum temporum quasi contumeliam iumenta ipsa vestita serico auroque conspiciebantur.

tur.

tur . Senatores ceteriq; Magistratus vrbisin longo Syrmate omneis . Dein Magnus Cancellarius, & Senatus princeps, & praefectus rerum capitalium, & Aerarij praefectus sequebantur . Hic argenteos nummos ad populum iactabat Caesaris ipsius imagine percussos, monstranturq; adhuc ea numismata ab posteris eorum, qui stipem eiusmodi aliquam arripere potuerunt . Extremum agmen fuere proceres Aulæ, Granuelanus & Auila, Salernitanus, & Estensis, & Farnesius, Vasthiusq; & Sabaudus cum hastatis Praetorianis alijs centum . Ea principum cohorte antecedente, toparchis duodecim interiectis, qui seruorum a pedibus vicè explerent, sub vmbella Caesar vehebatur, cingente latus Cardinale Contareno, subsequenter principū legatis, totam claudente pompam equitatu Praetoriano, nocteque interim superueniente accensæ faces renouauerant diem . Eximia interim erat species luctantium ignium cum splendore auri, perstringebatq; oculos pugna illa duarum naturae rerum, & quasi certamen inter ipsas, vtra splendidior esset . Et iucundior simul oculis animisque species erat alia, cum nobilissimi ciuitatis, ob Caesaris maiestatem, sumpta pedisequorum persona, circumpedes irent, eminente inter famulares illos amictus atque incessus fastu, quem die illo deposuerant, rursus famulorum greges incederent onerati vestium sumptu, quo ne principes quidem extra pompam abuterentur . Sed in tota scena diei noctisque illius nihil fuit, quod magis in se conuerteret omnium oculos, quàm Caesaris ipsius simplicitas, & modestia
cul-

cultusque parum ab plebeij hominis cultu abhorrens; mirumq; dictu, ille, propter quem cuncta haec fiebant, cernebatur atro palliolo & vulgari pileo caput humerosq; tectus, vt nisi frontis honos & vmbella monstrarent virum, quaerere spectantes possent, vbinam Caesar ipse esset. Admirationi quoque fuit, comitas, qua per totum iter cum Cardinale Contareno sermonem hilare confociarat. Hac ciuium gratulatione Caesar ingressus urbem, moratusque ibi per aliquot dies, leuata oneribus ciuitate, multorum quoq; merita priuatim large remuneratus, habito per totam prouinciam delectu eorum, quos secum in Africam ducturus esset, discessit quintodecimo die postquam venerat; ac laeti deinde noui imperij mansuetudine, & aequitate Mediolanenses, vicissim firmata erga id imperium fide, non enim olim amabile Vicecomitum & Sfortiarum, atque adeo ipsa libertatis suae tempora dedere obliuioni. Tantam Caesaris aduentus & breuis illa commoratio fiducia animis securitatemq; attulerat. Anno altero postquam ille venerat sic abieratq; locustae superuolauere agros, fortuitum naturae malum, & inter proligia olim habitum Romanis. Inumbrabant multitudine sua celum, & vbi arborum cacumina humumue incederant, frondosa & herbida cuncta depascebantur, eamque contactu velut ambusta tellus, vim omnem ius anni fugiferam perdebat. Decuriones urbis einaldo auertendo, simul ab Archiepiscopi Vicario postulauere, vti supplicationes de more haberentur, simul praemia proposuere omnibus, qui plenos earum fac-

cos

cos in publicum referrent. Ad centum millia modiorū
relata fuisse aiunt, pestemque ita sublatam. Si por-
tendunt ista quicquam aut minantur, pertinuit haud
dubie prodigium ad magnam insequentis anni cladem,
quam Galli intulere Hispanis, & Hispani mox reddi-
dere Gallo. Namque bellum, quod post Sfortiæ mor-
tem ab Rege Francisco, inuadendae Urbis causa reno-
uatum fuisse memorauī, aliquandiu intermissum recru-
duerat nunc apud Subalpinos, ab qua parte orsi illi com-
modiore aditu sese Prouinciam ingredi posse sperarant.
Ibi commisso ad Ceresolam praelio, duodecim millia e
nostris cecidere; qua victoria elati Gallicū ab ea par-
te simul, & ab aliā maioribus Petri Strotij ductu copijs
Metropolim circumuenire voluissent, in vltimo tantae
rei conatu ab Vasthio oppressi obscurum antea Strade-
læ nomen nobilitauere clade sua, & fauces eae sunt ho-
die nihilo tristiores apud Gallos, quā apud Romanos
olim Trasimenus aut Cannæ. Vasthio tamen, depulso
quamquam hoste laborabat acceptæ cladis infamia;
cumq; vel propter animi moerorem, vel ob militiae la-
bores in morbum incidisset, & ab infenso semper Me-
dicæo per amicitiae simulationem inuiseretur, tulit ætas
illa fraudum humanarum exemplum, in quo referendo
erubescere nos cogit patriæ simplicitatis fama. Ac
sanè, non pudenda solū, sed etiam miseranda res fuit,
falli sic ab Medicæo Vasthio, & illudi; mihiq; adhuc ex
longinquo rem intuenti ipsam, sicuti inter eos agebatur,
turbant animum indignatio simul & misericordia. & pu-
dor aliquis ob patriam, si talium artium aliquando altri-
cem

cem eam fuisse fatendum fit. Crediderat Vasthius, bona fide Medicæum redijisse secum in gratiam, & quoniam ab eo inuiseretur æger, tantò magis credebat. Fallacia igitur hac & magnitudine animi sui deceptus communicabat cum eo cuncta & libere etiam conquerebatur incusans modò proceres Aulæ, modò Caesarem ipsum, qui susciperet bella, & sine pecunijs, sine milite geri ea veller. Dum non persoluuntur stipendia militibus, extenuatas & inanes fuisse copias; dum plures imperitare volunt, male ab omnibus esse imperatum. Hac, & liberius alia dicendo rogabat denique Medicæum, vt quoniam iturus ad Caesarem propediem ipse esset, veller sibi apud eum esse patrocinio aduersus inimicorū calumnias, quibus opprimeretur absens. Medicæus, neque vt solaretur ægrum, neque vt in Regia defenderet absentem, sed vt valetudinis aduersa rimaretur, ibat visere; lætabaturq; malis inimici simul, & querimonias precesque eius, velut tela in ipsum, implacabili, & exulcerato alte animo arripiebat falsus sermone & vultu quò plura eliceret. Ad Caesarem deinde profectus, depromptit cuncta & maligne oneravit adeò felix in perfidia, vt Caesar, ob ea, quae audierat, in ordinem redigere Vasthium statuerit, & ille percussus decreto succubuerit mœrori; quo morbum aggrauante vitauit ignominiam, eiusque viri obitu damnus ingens fecere Mediolanenses. Refouebat enim imiti imperio Prouinciam, adeoque munificus etiam in Ecclesiam fuit, vt absentis Archiepiscopi damna quodammodo releuaret, eaq; sub tali Praefide minus sentirentur. Mortuus est Vigleuani,

Ccccccc vnde

unde translato corpore in urbem, velut Reip. parenti
 funus duxere ciues, Clerusque vniuersus; & oratio de
 laudibus eius in templo maximo (nam ibi sepeliebatur)
 facunde habita publicum moerorem recordatione tan-
 tarum virtutum auxit. Prouinciam deinde Ferdinandus
 Gonzaga regebat dilectus à Caesare in id munus ob
 eximia belli pacifq; decora, & Vasthij virtutibus parem
 animum, sicuti rerum etiam exitu pene similis fuit.
 Gonzagam hunc inter conditores Urbis meritò nume-
 rauere quicumque de Patriæ rebus post eius ætatem
 scripsere aliquid, & publica opera sunt monumento.
 Cura ei muniendae Urbis prima fuerat, vt quoniam mu-
 nimenta alia vetustas labefecisset, alia rudibus sæculis
 instituta damnaret vsus recens, cuncta aduersus novos
 oppugnationum impetus atq; artes, valide & perite
 firmarentur. Itaque veteres demolitus muros, nouam
 moenium descriptionem, quibus vrbs hodie cingitur,
 instituit, inclusitq; suburbia, ne maxima ea pars populi,
 quandocumque ingrueret hostis, aperta, & indefensa,
 sicuti olim iaceret. Absoluta ea descriptione munimen-
 torum, operisque publice imperatis, Gonzaga rogauit
 Archiepiscopi Vicarium, vt ponendo primo lapidi, in-
 choandæq; securitati vrbs, Ecclesiasticas quoque cære-
 monias auctoritatemq; sacram adiungere vellet. Ita
 statuto die sacrificatum in Templo maximo solenni ritu
 cum ea precatione, vt Metropolitana propugnacula,
 murique pro salute vrbs inchoati prospere attollerentur.
 Dein pio agmine processum in campos, qui circa
 D. Dionysij Aedem late excurrunt. Ibi Gonzaga,
 Clero

Clero populoq; circumstante primum lapidem in fundamenta coniecit, ac strenue inde urgebatur opus, donec munimenta, quæ nunc rursus diffluente passim lorica, labare incipiunt, toto ambitu urbis steterunt. Versatiles ponticulos ad nauigabilis fossæ labra appositos tolli placuit, eorumq; loco fornicati pontes extructi; Turrim ad Portam Vercellensem quæ erat, dirui tutius visum; item ad Portam Cumanam turres aliæ duæ excidio datae, nequando receptacula ea hostium essent, si qua violentia transgressa muros foret. Hæc ad firmandam urbem pertinere; quæ simul expoliebatur pari cura. Iam enim allatum erat; Principem Philippum Cæsaris filium in Belgas ire ad Patrem, iterq; ei per Provinciam fore, & Mediolani aliquandiu commoraturum. Tanto maior sollicitudo, tum Præsidi Urbis Gonzaghæ, tum Decurionibus ciuibsq; ipsis, vt Metropolitim, sicuti ipsius fama dignum esset, magnifice splendideq; exultantem regnatura iuueni exhiberent. Forum quod Metropolitana Aedi præiacet, vetustissima, & ruinosa D. Teclæ Aedes obscurabat, atq; impediebat. Placuit eam complanari aedem, vt, & translato in templum maximū, cultu ministerioque eius, cultus Diuæ amplior in Metropolitana sede esset, & foro laxitas spatio illo exaugurato adijceretur. Tum vias urbis dirigere ad lineam, ædiumque frontes perpendiculari exaequare sunt aggressi; eaque instauratio, tota dedit urbe stragem veterum aedificiorum, dirutis porticibus, podijs, fornicibus, transversisque tigillis; quæ rudia & impolita prospectum impediebant. Cloacas receptacula purgamentorum

omnium, quia sordibus, tetroque odore & adspectu foedabant urbem operuere. Neque contenti remouisse ista ab oculis, pleraque urbis loca decoranda picturis locauerunt. Muniebatur igitur urbs & ornabatur eodem tempore, non ad praesentis modò utilitatis, & elegantiae fructum, sed ut posteritas quoque omnis tutius honestiusque habitaret, cum de Principis aduentu certior iam instantiorq; fama coegit cura omissa lentiore apparari celeriter ea quae ponenda ad tempus & extruendae erant. Iam enim erat Genuae Princeps, & urbe in illa satis moratus, propediem inde moturus esse dicebatur, ut Mediolanum veniret. Alexandria, vile, quondam naeta palearum cognomentum, nunc ob munimenta similior nomini, prima est urbium, per quas ab Genua venienti Prouincia Mediolanensis intratur. Eam urbem cum intraret Princeps, pleraque Metropolitana nobilitas & Cleri primores obuij fuere vnà cum Ioanne Berguæo, quem à Bruxellis miserant duæ illius amitae, Eleonora & Maria; illa Galliae Regina, hæc Pannoniae, quae tunc Belgio pro Caesare fratre praesidebat. Miserant autem muliebriter sollicitae de iuvene, ad salutandum eum, & ut certa omnia de ipsius incolumitate legatus referret. Ab Alexandria Vogheriam; ex eo loco Ticinum accessit; perq; suos fines eunti iam hinc Principi, non modò subiectorum studia, sed etiam vestigia paternarum rerum occurrebant. Ticini in arce erant ænea tormenta praecipuae magnitudinis, spes olim & robur Saxoniae Duci, nunc monumenta cladis, quae capto Saxone Caesar in eam arcem ex Germania miserat.

rat.

rat. Ea Princeps inspexit perite disserens apud suos, qui proximi stabant de longitudine ac diametro singulorum, de metalli temperatura & oris hiatu, & quantos quaeq; globos paterentur. Incisas etiam literarum notas, quia propter aeruginem aut vetustatem confusæ, non facile explicabantur, tum sedulo tergeri iussit, tum admotâ cerâ enotari; ac ferebatur interea de Germanici belli consilijs & tota illa rebellium conspiratione arcana quædam, & ad eam diem occulta patefecisse. Fortè tunc in Academia Ticinensi versabatur Andreas Alciatus Mediolanensis scientia legum inter primos, aut sanè primus æui, neque id optimum eius viri fuit; sed interiores literas in barbariem illam inuexerat penè ad formam antiquitatis, poteratq. loqui de Regum negotijs, & ob vitæ auctoritatem alloqui Reges. Ei datum est negotiû, vt Reip. nomine peroraret apud Principem, quod fecit ille veterum Romanorum lingua, non quotidiani Oratoris ritu; princepsq; ipse celerius multò quàm vellet, orationem euolasse illam aiebat. Summa hæc fuit. Hilaratam esse terram Insubriam ad spectu iuuenis, quem superûm fauor, & Patris arma, & ipsius virtus, Regiæ magnitudinis exemplum pararent. Urbem, in qua tunc esset maximi Patris magna proles, ambitu quidem, & specie minimam esse potentiæ illius partem; obsequio & fide & teneritudine animorum erga Caesarem, Caesarisq; filium, & si quid illud etiam ad rem attineret, antiquitate sua, nulli urbium aliarum concedere. Habitasse ibi Reges olim, & gessisse bella; nec procul à moenibus esse locum, in quo Rex Galliae captus, memoria

moria hominum teste, terribile Gallicis exercitibus Hispanum Austriacumque nomen fecerit. In ea vrbe, perinde atq. in Metropoli ipsa ceterisq. subiectis Metropoli terris, quotidie nuncupari vota pro Catholica Domus incolumitate; & postquam ipse profectus ab domo sit, nullo non die Insuabres à superis petiisse, vti sospes rediret. Petere nunc ab ipso, vt cum in Regna, tam multa, & tam longinqua diuideret curas, etiam meminisse fidei Longobardorum velit. Haec ferme ab Alciato perorata. Princeps inde Mediolanum ibat; cumq. ad quintum ab vrbe Ticino lapidem, monstraretur ei septum, Intra quod inclusi cum Rege suo Galli, potiundae Insuabriae spem atq. cupidinem, captiuitate Regis, & exercitus internecone luisent; incessit animo cupiditas locum eum intrandi. Spectauit agri partem, in qua concurrisse acies dicebantur, sylvam ex qua prodierant ad Gallorum perniciem insidiae, parietinas, qua subruti dolabris muri aditum Hispanis dedissent, fossam denique ipsam, in quam Rex effuso super ipsum equo prolapsus erat. Ea vestigia recentis victoriae Princeps inspexit commoto simul animo ob sortem humanorum casuum, cum tanti Regis ignominia & periculum ante oculos obuerfaretur. Eadem imago mixtum dolore gaudium aliorum etiam pectoribus intulerat, neq; alia sermonibus materies breui hinc ad Carthusiense Templum uia. Posuere Templum illud & ditauere Vicecomites nostri, tempore, quo rem Mediolanensem haud procul ab magnitudine Regij nominis obtinebant. Et miretur hodie quilibet Regum, opus quidem etiam ipsum, sed multo magis
attri-

attributas Monacis opes, queis domus illa sufficeret gentium hospitio; nec in Principum aduentu moueri ibi quicquam attinebit. Princeps, adorato ad Templum Numine, Binascum; ex eo pago, postero die Mediolanum venit. Ciuitas opulenta, admiratrix Hispanorum, vnica erga Caesarem fide, prodiga eadem contemptrixque auri, cedere nesciam alens nobilitatem, foecunda ingeniorum, connixa est, vt agnosceret Princeps Insurbriae Metropolim, auferretq; memoriam secum duraturam vltra fluxam in Regum animis talium obsequiorum gratiam atque recordationem. Statuerant tota passim vrbe simulacra Caesaris victoriarum eminentibus figuris, vel picturâ, cui artificum nomina pretium forent. Cernebatur fugiens ex Germania Solimanus cum illo trecetorum millium equitatu, quem à Caesare dissipatum, etiam pinxisse arduum videretur. Sexaginta millia Turcarum equitum cæsa cadebant ante oculos; captæ de Turcis vrbes, Patræ, Corone, Tunetum, Hyppo, Tunetanum Regnum, Imperium Libyæ, Mauritania tota restituta veteri Regi, deiectus Aenobarbus, viginti millia captiuorum reducta in Patriam, purgata latrocinijs maria, triremes hostium captæ aut demersæ, restituta Genuensibus libertas, traiectus Albis, Indiae patefactæ, Saxonis immane corpus oneratû ferro, ceteraq; rebellium Germanorum capita promissis in pectora barbis grandiq; capillo sub iugum ibant. Haec omnia, veluti tunc fierent, aduenienti Principi Mediolanenses ad spectaculum simul, & exemplum proposuere. Vrbem verò suam, sex hostium exercitibus fu-

fis,

fis, toties à Caesare conseruatam tantò splendidius fe-
 cerant, quanto maior est vniciue genti circa rerum
 suarum memoriam ambitio & cura. Et ea quidem An-
 naliū instar fuere, siue potius annales ipsi versi atque
 commutati in hominum ora & vultus. Genus erat aliud,
 quod per veteris Historiæ symbola hosce Caesaris euen-
 tus atq. res bello gestas includebat. Simul admone-
 bant ambages variæ Principis iuuenis animum, quæ
 post Patris finem publica fama & expectatio eum ma-
 neret. Ea mysteria fuere in arcu, qui stetit ad templi
 maximi valuas æmulus penè Aedis ipsius maiestati.
 Rutilo crine puer Dauid strato ad pedes gygante Golia.
 Iosue sistens imperio cursum solis. Cum Holofernis
 capite Iudith; & pascens inter iumenta Nabucadneth-
 far, imagines & simulacra residuarum expeditionum.
 Ad introitum Regiæ sedebat in pegmate celsissimo
 Colossæus Cæsar, quem Princeps ipse venerabundus
 adiret. Effigies eadem, alibi armata erat, alibi pacis
 cultu. Depictam ita & ornatam urbem inclinato in ve-
 speram die Princeps intrauit, antegrediente varij gene-
 ris equitatu & armatura, quæ propria fuerat Regij ag-
 minis, quæue ex prouinciali copia extra ordinem ac-
 cesserat. Sclopetarij, cataphracti, velites, suis quæque
 turmae ordinibus tendebant. Tegmina & ornamenta
 turmis fuere ad Regiæ familiæ colorem, & formam, siue
 ex ducum ipsorum ingenio. Duces ipsi vestem auream in
 peregrinum habitum assimulauerant, quò magis conspi-
 cui forent. Hos armiger quemque suus anteibat.
 Albae Ducis pueri vicenaria turma succedebant. Sena-
 tus

tus inde Mediolanensis, Magistratusq; & prima Urbis nobilitas processere. Mox Aulæ Principes, Hispani, alijq; gentium aliarum secuti Aulam, & summo quisq; studio meditati, ne splendor alienus obscuraret suum. Regiæ cohortes hastatae, in Germanicum & Hispaniense genus ad viarum latera discrimabantur. His proximi vadebant quinque & viginti nobiles ab iuuentae flore delecti, ab gratia quoque corporum & venustate formae. Candida ea cohors inaurataq; sarissis & amictu ducebatur ab Mutio Sfortia, cuius pater exciderat Imperij Mediolanensis iure proptereaquod absq; Matrimonij ceremonijs ille procreatus fuisset. Post iuvenes eos incessere, Gometius Ficeroa, & cum Demarcho Inarimes Demarchus Astorgæ, Dux Sinuessæ, Castellæ Almirarchus. Ferdinandi Gonzaghæ filius adolescens cum æqualibus quatuordecim in conchyliata tunica Principem antecedebat. Dux Albæ suo loco subsequabatur. Vexillum hinc regiū, & legati Regulorum aut ciuitatum. Princeps ad Templi maximi valuas exceptus ab Sacerdotum Collegio atque in templum introductus ab solita precatone in Regiam diuertit. Ibi per aliquot dies equestria certamina sunt exhibita, quorum arte Mediolanenses expressere confessionem Hispano; si tales in acie forent, esse robur militiae penes urbem hanc. Opportune congruerat, vt Principis aduentus incideret in nuptias, queis Fabricio Columnæ iungebatur Hippolyta Gonzaga filia Ferdinandi. Ea res laeta iuueni fuit ob solitam talium rerum hilaritatem; & nuptias ipse decorarat, haud dedi-

D d d d d d gnatus

gnatus inuisere sponfam, festis interesse dapibus, & modico saltatu choreas inire, quaeue alia celebrando Matrimonio instructa erant. Lætitiâ auxit aduentus Alphonfi Aquilarij, qui missus à Caesare ad Principem prospera de eo & salua omnia nuntiarat, attuleratque mandatum, vti maturaretur iter. Hoc allato nuntio Cardinalis Tridentinus ad paranda omnia domum processit, quæ per eos fines ituro Principi grata esse possent. Duæ sunt ab vrbe Mediolano Tridentum viæ; per Mantuae fines vna, per Cenomanos altera, vtque compendij breuioris hæc, sic illa per suas terras secutura longius Hispanum erat. Princeps delecta priore via ad VI I I. Idus Ianuarij Melinianum proficiscitur qui locus abest ab vrbe decem millia passuum & Iacobo Medicaeo, sicut antea demonstraui, attributus, domicilio nunc eius nobilitabatur. Poterat iam ipse stare inter principes, & hospitium illud, non magnifice modò, sed etiam erudite portis & emblematis adornatum Hispani aduenientes inuenere. Post Principis discessum laetus Gonzaga pergebat addere in perpetuum decora & munimenta Vrbi, cum exorta in eum criminatio atrocior quàm quae Vasthium absumpserat, non quidem absumpsit, peremitue ipsum, sed ab eiusmodi operum eleganti cura ad tristem, & necessariam sui defensionem auertit, diuque occupauit. Crimini maxime dederant inimici æmulique eius, quòd natus in familia assueta dominationi, animo elato, & ob magnas propinquitates inquieto, Regij præfecti vocabulum adspernaretur, affectaretq; imperium vrbis, nec Caesari, sed sibi

bi Metropolitim muniret. Fauere Venetis, & quaerere sibi gratiae locum apud eos: remittere Mediolanensibus tributa: cum Ferrariæ Duce plus habere necessitudinis coniunctiusq; viuere, quàm cum alienae factionis homine Caesarianum deceret. Id ipsum, quod interfecto à coniuratis Farnesio, Placentiæ possessione Caesaris nomine adijisset, prouinciæque fines protulisset vsque ad Tanarum flumen, vt inutiliter & ambitiose factum criminabantur. Infestissima denique interpretatio erat, quòd mortuo sub idem tempus Pontifice Paulo, Cardinalem Saluiatum Florentinum patriâ, studijs, & propensione animi Gallum, contemnens, siue dissimulans mandata, quæ habuerat, commendasset Patribus, vt in Pauli locum ille subrogaretur. Hæc omnia in suspicionem crimenq; vocantes inimici, asperare Caesare conabantur, irritisq; aliquandiu, & sermonibus, & libellis, animo eius obrepebant. Iactando deinde sapius eadem augendoq; fecere vt capitibus aduerteret illis monerique Gonzagam iuberet; recte & ex dignitate sua facturum eum, si dilueret obiecta & purgaret. Simul cuiusmodi essent ea demonstrabat. Gonzaga datis ad Caesarem litteris, homineque remisso, quem rerum earum causa Mediolanum ille destinabat, defensione hac utebatur. Muniendæ curam vrbis ideo suscepisse, quoniam in eius rei consultatione post varias vtrunque sententias, permisisset sibi Caesar liberam eius negotij facultatem arbitriumq; & verbo hoc esset vsus; quò notiora ei ciuium ingenia & conditio prouinciæ totius essent, hoc melius posse statuere quid

tutissimum optimumue factu censeret . Mediolanenses præterea ipsos reputantes superiora sua tempora, & tot hostiles incurfus, vltro cogitationem habuisse muniendi; voluisse id facere suo sumptu, & ea de causa vectigal in vini metretas quæ importarentur, instituisse . Defectionem populi Mediolanensis timeri debuisset nullam, vel quia nunquam antea descuiissent, steteritq. omnis eorum motus intra leuem tumultum, vel quia subiectæ vrbes semper infensæ Metropoli, spem & societatem subsidiaq; rebellionis negent . Nullam sibi gratiam priuatim apud Venetos quæri; curae esse tantum, vt pax, & concordia, quæ cum eo Senatu sit instituta conseruetur, neue dissidia, inter accolæ solita existant . Ferrariae Ducem consanguineum esse suum, nec posse naturæ vincla dissolui . Cardinalis Saluati nomen, non inter Gallos, sed inter Caesarianos reperire sese in occultis illis literis, quæ ad classem vtrâq. distinguendam inter alia imperij arcana sibi traditæ fuerint . Tributa populo Mediolanensi lenius mitiusq. quàm olim esse imperata, non per ambitionem artemue malam, sed vt ciuitati redactæ ad extrema consuleretur . In Placentina expeditione, nullas suas præterquam obediendi & exequendi partes fuisse . Scripserat hæc dixeratq; Gonzaga sicuti erant, vel certe tanta confidentia & libertate, vt conscientiae securitas intelligeretur . Criminales tamen acrius infestiusq; coorti, velut arreptis ex ipsa defensione facibus saueiebant apud Caesarem, moliebanturque omnia vt ambustum secreti iudicij flamma Gonzagam Provinciam

ad.

administratione dimouerent. Horum scilicet demum instinctu Caesar exiuit ad se reum, iussitque, tradita interim Prouincia Gometio Ficeroae ad dicendam causam veniret. Censores duo Mediolanum missi, Bernardus Boleus & Franciscus Pacecus, qui postea Cardinalis fuit; his mandatum, vt quaestionem haberent de ijs rebus, quas Gonzaga dolo malo egisse, tentasse argueretur. Ea cognitio propter hominis dignitatem famamque & genus occultissime exercebatur; palam verò in Magistratus alios inquirebant; ac notatis, quos probri compererant, innoxium fidumque Caesari Gonzagam pronuntiauerunt. Quinetiam intuentes publicorum operum vtilitatem ornatumque vrbs, & cuncta per eum eleganter & splendide renouata sicuti monstrabantur, tum verò pietatem in sacra, iustitiam in omneis, & orba suo Pastore Metropoli, velut expletam eam quoque vicem sustentatione pauperum, & defensione Cleri, cuncta ea, sicuti fuerant, & sicuti fama loquebatur, admirati Censores in Regiam cum ampla testificatione perscribere. Vnde maior gloria Ferdinando huic apud Caesarem, liuor aemulis; & tam accusasse, quam credidisse, hos illumque pudebat. Erat deinde Gonzaga Caesari assiduus primusque minister bello, quod inducijs & Francisci Regis obitu paulisper intermissum, Rex Henricus etiam infelicior patre, & petendae ex Hispano vltionis penè audior instaurabat. Mediolani per eos dies absente Gonzaga, Ludouicus Biragus Galliae Regis apud Subalpinos Chiliarcha

liarcha per dolum inuaserat prope ceperatq. Arcem, si satis prouide compositus ordo insidiarum fuisset, vel potius, nisi hoc etiam tempore profalute urbis stetit contra Gallos, benignitas & prouidentia Numinis, quæ aduersus eam gentem tutata Metropolim semper, ingrata & temeraria interpretatione saepe dicta casus fuit. Notum eum omnibus historijs tanto discrimine annum, ne mulieres quidem & pueri ignorauere ob Georgij proditoris caluam, quæ in rotundae turris fastigio prefixa hastæ ostentui fuit. Eius anni principio Cardinalis Hippolytus Estensis, nonnulla fortasse tactus religione, vel sermones certe hominum in extrema iam ætate metuens, abdicare se Mediolanensis Ecclesiae Pontificatu tandem decreuit potius quàm ut percipiendo sic emolumenta absens in flagitio dedecoreq; illo extingueretur. Abdicauit autem ea conditione, ut Ioanni Angelo Arcimboldo Episcopo Nouariensi Ecclesia traderetur: si diem suum ille obiisset prior, ius omne ad se ipsum rediret. In ea Pontifex Iulius autor factus. Successerat enim hic nominis eius tertius tertio item Paulo; nec tertium fere Pontificatus annum excessit, ut trium hebdomadarum Pontifex Marcellus longiore dignus æuo post hunc regnaret. Præfuerat Arcimbolus Ecclesiae Nouariensi quatuor & viginti annos. Clemens VII. eum ex Senatore Episcopum creatat delectatus viri literis & dexteritate, cum is Sfortiæ legatum Romae ageret. Ab Estense, qua diximus conditione productus, & Iulio III. probatus, quartum annum Metropolitanæ potestatis implere non potuit. Eius
morte

morte redierat res ad Estensem, qui rursus suo more absens Ecclesiae vectigalibus fruebatur laborum curarumque; expers. Cum Arcimbaldi huius obitu mors prope continuata Iacobi Medicæi mœrore alio ciuitatem affecit; & propter viri claritudinem spemque de Cardinale fratre summam sacri etiam ordines indoluere. Mortuus est in aedibus suis ad Braidam, & funere amplissimo elatus ad Melinianum, rursusque inde ossa Mediolanum in Aedem maximam translata fratris Pontificatur. Vir propter exempli magnitudinem nulli ætati silendus, post abrupta sua initia desperataque; expeditiones, & gestum cum Principe bellum, constitutâ denique fortunâ, quinquies imperator alienorum exercituum fuit: Senarum urbem vicies ab alijs frustra obsessam cepit: aperuit fratri viam ad id quo nihil amplius mortalitas capit: parumque fuerat dedisse Pontifices maximos e suo sanguine, nisi

per sororis nuptias, ascito
in domum Borromæo,
Sanctos etiam
dedisset.